

Αήρτε καὶ ὁ διὰ συνήθειαν καλοῦμεν πῦρ, οὐκ ἔστι δὲ πῦρ ὑπερβολὴ γαρ θερμοῦ, καὶ οὗτος ζέσος ἔστι τὸ πῦρ.

“Ær et quem, ob consuetudinem vocamus ignem, non est autem ignis. Excessus enim calidi, et quasi ebullitio est ignis.”

Quem sequenti capite, aliter vocat.

Δεῖ δὲ νοῆσαι, οὗτος ὑπέκκαυμα τοῦτο ὁ νῦν εἴπομεν πῦρ.

“Oportet autem intelligere quasi hypeccauma hoc quod nunc diximus ignem.”

Ignis igitur hic non ignis, sed hypeccauma, ut ait, supero elemento est continuus; sicuti ær ipsi continuus est. Nomen enim συνεχῆς continuum dicit, et non contiguum, ipsomet docente, initio physici VI.

Συνεχῆ μὲν ὅν τὰ ἔσχατα ἐν. ἀπτόμενα δ' ὅν ἄμα.

“Continua quidem, quorum extrema unum, tangentia vero, quorum simul.”

Non est autem hic usus nomine ἀπτομένων, tangentium, quia significare noluit, hypeccaumatis superficiem superam tangere tantum elementum circulolarum, sed usus est, et priore, et secundo loco, nomine continui, ut significaret superficiem utriusque extremam esse unam, et revera continua esse hæc duo corpora. Igitur sua sententia hypeccauma cœlo est continuum. Si continuum, corpus quoque unum cum eo est. Si unum, eiusdem etiam cum eo naturæ, ergo et similare, nisi dissimilare esse estendatur. Dissimilare autem nulla apparet parte. Ergo similare cum cœlo est, sicuti est, et simplex, et tenue, et transpicuum, et invisile. Ergo hypeccauma, quod calidum, et siccum esse ait, eiusdem est cum cœlo cumque æthere naturæ. Ergo et cœlum calidum, et siccum. Ergo non quinta essentia. Si ut hoc ridendum sui non admittant, sui dicant, vocem συνεχῆς non pro continuo esse positam, sed pro προσεχῆς, contiguus, qua utitur aliquando; dicemus nos, vel eos, nobis fucum facere, qui aliter interprætantur, quam magister eos doceat. Eumque accusare, quod contra leges suas in philosophia metaphoris, et vocibus utatur impropriis, quæ confusionem, in re tanta, quanta hæc præsens est, possit parere. Vel ipsum, nobis fucum facere Aristotelem, qui scientiam suam, vocum impropriatibus confundat. Verum quomodo cumque eis abutatur, nihil in hac re efficit. Neutram enim rem demonstrat. Neque enim probat, hunc suum ignem non ignem, cœlo esse aut continuum, aut contiguum. Utrum vis dicat, sumit tantum pro libitu. At hoc philosopho non est facis. Neque etiam ostendit, ærem igni illi non igni, vel continuum esse, vel contiguum. Quin imo hypeccauma hoc, æris esse supremam partem autumat. Qui ær, ut ipse ait, cum calidus, et humidus sit, a superiori circulari motu etiam magis calefit, et exsiccatut. Ita sentit in his.

Τὸ μὲν γαρ ἄνω, καὶ μεχρὶ σελήνης, ἔτερον εἶναι σῶμα φαμεν πυρός τε καὶ ἀέρος, οὐ μὴν ἀλλ' ἐν αὐτῷ γε τὸ μὲν καθαρώτερον εἶναι, τὸ δῆλτον εἰλικρινές, καὶ διαφορὰς ἔχειν, καὶ μάλιστα ἡ καταλήγει πρὸς τὸν ἀέρα.

“Supera enim, et usque ad lunam, aliud esse corpus dicimus ab igne, et aere. Sed in eo, purius hoc esse, illud sincerum minus, et differentias habere, et maxime ubi desinit ad ærem.”

Alio quoque loco, proximo, scribit.

Αλλὰ δεῖ νοῆσαι, τῶν λεγομένου, καὶ καλουμένου ὑφ' ἡμῶν ἀέρος, τὸ μὲν περὶ τὴν γῆν οὗτον ὑγρὸν καὶ θερμὸν εἶναι, διὰ τὸ ατμίζειν τε, καὶ ἀναθυμιάσιν ἔχειν γῆς, τὸ δὲ ὑπερ τοῦτο θερμόν ἥδη καὶ ξηρὸν.

“Sed oportet cogitare, eius qui dicitur, et vocatur a nobis ær eum qui est circa terram, esse veluti humidum, et calidum, eo quod evaporationem, et exhalationem habeat terra. Qui vero est supra hunc, calidum iam, et siccum.”

Quale dicit esse ipsum hypeccauma. Quod si superum corpus usque ad lunam, non sit ignis, non sit ær, sed quinta illa sua essentia, ær suo confessu, cœlum attingit. Et eo loci, ob cœli vertiginem calidior fit, et siccescit. Et ideo hæc eius pars, hypeccauma, quasi ab exustione, est ab eo nominata. Unum igitur corpus ær cum hypeccaumate est, et continuatum, quod et ipse dixit. Non enim ær esse desinit, ignis hic non ignis, etiam si calidior, et siccior est